

Friedrich-Universität Bützow

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Natales
Servatoris Festos Dies, Religiose Celebrandos Indicunt, Praemisso Specimine
Altero Theologiae Patristicae, De Notione Et Via Gratiae Secundum Cyrillum
Hierosolymit**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1765?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837173362>

Druck Freier  Zugang



1765. 10

Mkl h

3465



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837173362/phys_0001



entsäuert

zfb ME
05. A. C.

Arch. h.
3465

RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS

NATALES
SERVATORIS
FESTOS DIES,

1765



RELIGIOSE CELEBRANDOS

INDICUNT,

PRAEMISSO SPECIMINE ALTERO THEOLOGIAE
PATRISTICAE,

DE

NOTIONE ET VIA GRATIAE
SECUNDUM CYRILLUM HIEROSOLYMIT.




BUETZOVII


TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

RECTOR ET CONCIILIUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUTENOVENSIS
CIVIBUS
NATALES
SERVATORIS
FESTOS DIES

RELIGIOSE CELEBRANDOS
PRAEMISSO SERMONE ALTIORIS THEOLOGICAE
NOTIONE ET VIA GRATIAE
SECUNDUM CYRILLUM
CYRILLUS IGIUR, CUM GRACIA

BUTENOVIA
TYPIS JOHANNIS GOTTLIEBI SERENI FRATRIS ABBATIS
ET ACADEMIAE PRAEPOSITI





I. N. J.



Superiori commentatiuncula (*) ostendimus in universum, gratiæ nomine apud CYRILLUM nostrum totum illud venire, quod proxime per baptismum iis confertur, qui ad eum rite præparati accedunt, versarique in eo supernaturalem quandam effectiorem, qua Spiritus Sanctus *subjective* in ipso homine plane divinos effectus producat. Jam vero accuratius paulo atque pressius dispiciendum est, quid tandem istud sit, quod proprie in divino & supernaturali illo effectu contineatur? Atque hoc quidem ut dilucide explicemus, in hac commentatiuncula nobis propositum est. CYRILLUS igitur, cum gratiam dicit, quæ per baptismum conferatur, intelligi in ea vult tum animum plane certum atque securum de impetrata venia atque remissione peccatorum, quem Spiritus S. homini patratorem

A 2

(*) Program. pentecost. h. 2.

delictorum conscientia afflicto & oppresso, reconciliationemque cum Deo anhelanti, largitur, hocque ipso eum plena fiducia in Deum, certaque spe salutis æternæ, atque divinis viribus ad vincendas mundi & carnis cupiditates imbuat: tum perpetuam continuamque Spiritus Sancti efficacem præsentiam atque inhabitationem, qua ipse hominem per totam vitam in singulis casibus monet atque confirmat, ad egregia quævis Deoque grata facinora perpetranda. Hoc vero illud est, quod clarissimis CYRILLI nostri verbis comprobatum dabimus.

In *Procedtech.* statim, cum enarraret CYRILLUS competentibus, quænam sint istorum prærogativæ præ nudis catechumenis, quod nimirum sint proximi candidati gratiæ, interrogantem inducit competentem: *ne dixeris, quomodo mea delentur peccata?* (ἐξαλείφονται αἱ ἁμαρτίαι) ego affirmo tibi, quod volendo & credendo. Vides competentem istum gratiam promissam præcipue ad remissionem peccatorum referre. Secundum CYRILLI antea institutum sermonem quærere debuisset competens iste: *quomodo pervenero ad gratiam?* seu *quomodo continget mihi gratia?* Id vero iste, CYRILLI sermonem repetens, de remissione peccatorum interpretatur, gratiamque a CYRILLO promissam peccatorum veniam vocat. Neque reprehendit id quidem CYRILLUS: sed respondendo plane confirmat. Paulo post, cum competentes ad studiose suscipiendos exorcismos hortaretur, virtutemque eorum, quoniam ex verbo Dei sint desumpti, prædicet, addit CYRILLUS effectum ipsum, qui intercedentibus his præparationibus deinceps per baptismum, perfecte fit producendus & absolvendus: *cum exorcista per divinum spiritum incutiunt timorem - - - fugit inimicus Dæmon, adest autem salus, & spes vitæ æternæ adsistit: in posterum vero anima repurgata a peccatis, possidet (ἐχει) salutem.* Nemini, qui ad perlegenda priscorum Patrum monumenta vel exiguam operam contulit, ignotum esse potest, peccatorum principium atque fontem istos in ea re potissimum collocasse, quod homines ante fidem in Christum, & prius-

præterquam sacrum lavacrum subierint, versentur in potestate diaboli, quem CYRILLUS noster hoc loco inimicum dæmonem vocat. Hoc vero quamvis præfati patres satis mature, nonnullis philosophiæ platoniciæ præceptis decepti, crassius quam par erat, interpretati sint, ut hancce diaboli potestatem ad ipsum infidelium hominum corpus extenderent, putaverintque omnes homines ante baptismum corporali quodammodo maligni dæmonis obsessioni esse obnoxios, quod quidem ipsum multis superstitionibus circa exorcismos exercendos fores aperuit; res ipsa tamen, quod ad animum hominis attinet, recte se habet, divinisque nititur testimoniis. conf. EPHES. II, 2. 2 TIMOTH. II, 25. CYRILLUS igitur effectum baptismi, sive gratiam, in eo versari contendit, ut infracta diaboli potestate, qui per peccata homini dominatur, animus salute certaque spe & fiducia vitæ æternæ imbuatur, atque hoc modo istud accidere affirmat, ut mens repurgata a peccatis salva evadat. Hoc loco autem tenendum est, quod ex his ipsis verbis quodammodo colligi jam potest, qua ratione secundum CYRILLUM diabolus potestatem suam in homines exercent, & quomodo vis ejus infringatur? istud enim accidit, cum homo peccatorum conscientia oneratus, atque timore servili a Deo repulsus atque remorus, cupiditatum impetum sequitur, sicque diaboli tyrannidi sese permittit: hoc vero, cum animus liberatus per peccatorum remissionem a conscientia terroribus, spem atque fiduciam in Deum concipit. Quod quidem utrumque deinceps CYRILLUS multo clarioribus verbis, quæ dubitationem nullam relinquunt, nos docebit. Neque istud ex iis, quæ deinceps proferemus testimoniis, obscurum manebit, purgationem peccatorum apud CYRILLUM non physica quadam abolitione eorum contineri, sed venia ipsorum sive condonatione, qua conscientia hominis rei liberatur a culpa. In hoc ipso orationis contextu CYRILLUS, ex iis quæ dixerat, rationes desumens hortatur competentes, ut propositum istum baptismi salutarem effectum certo fidentique animo expectent, quem quidem, repetitis quodam-



modo iisdem verbis hoc modo describit: *persistamus ergo, fratres, in spe, atque illi nos tradentes certo speremus, ut Deus universonum, propositum nostrum videns, mundet nos a peccato* (καθαρη ημας των αμαρτηματων) & *spem nobis bonam semper de rebus nostris præbeat.* En istud, quod alias gratiam vocat CYRILLUS, per baptismum conferendam. Præprimis vero in hac *procatech.* memorabilis locus occurrit, quo, quidquid confertur per baptismum, ita conferri affirmat noster, ut plane certi convictique sint ii, quibus id collatum est, conscientiamque omnino securam habeant impetratæ remissionis peccatorum & salutis. *Fideles, inquit, rem certam tutamque habent, sciunt, quod acceperint, gratiam tenent* (εχουσι το ασφαλες οιδασι, τι ελαβον, κατεχουσι την χαριν) Ignoravit igitur CYRILLUS istum fluctuationis & anxietatis plenum animi statum, quo quis incerta tantum dubiaque spe consequendæ salutis per totam vitam circumactus, suspensus hæret, quo res ipsius coram tribunali divino sint evasuræ. In hoc ipso CYRILLUS affirmat differre statum fidelium, sive statum gratiæ, a catechumenorum & competentium, sive etiam poenitentium statu: horum esse suspensam istam dubiamque adhuc quodammodo spem; gratiam vero securam, certum, tranquillumque reddere animum. Continuo enim addit: *Tu vero* (catechumene, & competens, aliter quam fidelis iste in statu gratiæ constitutus, qui rem certam tutamque habet) *adhuc in bilante aut consequendi, aut non consequendi consistis.* Eandem illam gratiam, quæ rite præparato animo accedentibus ad baptismum, proposita est, paullo post ita describit noster: *tunc vobis ostendet Deus noctem illam, & tenebras lucentes tanquam dies, de quibus dictum est: tenebræ non obscurabuntur a te - - - tunc unicuique vestrum porta paradisi aperietur.* *Tunc aquis istis fruemini, quæ fragrantiam talem habent, qualem quæ Christum secum ferunt.* *Tunc appellationem Christi, & rerum divinarum virtutem* (ενεργειαν) *accipietis.* Statum istum, quo



mens peccatorum conscientia opprimitur obnubilaturque, ut certa fiducia in Deum ferri haud possit, noctem atque tenebras appellat: tranquillitatem vero istam, quæ conceditur animo discussa peccatorum culpa, certamque fiduciam de impetrata remissione, diem, qui exoriatur in animo per supernaturalem illam virtutem conjunctam cum baptismo. Unde intelligimus, quo sensu priscis *baptisatio*, sic appellata. Hac ipsa via certissima nec ulli dubitationi obnoxia spes paradisi, sive vitæ æteræ generatur, atque homo Christi & beneficiorum ejus particeps redditur, sentitque plane supernaturalem istam rerum divinarum efficaciam. Nihil nos hoc loco finxisse, quod a sensu CYRILLI alienum sit, tum subinde producendo clariora testimonia magis magisque perspicuum fiet: tum ex iis aparet, quæ continuo apud CYRILLUM sequuntur. *Jam auribus vestris, inquit, quemadmodum instruemini, personet vox illa pulcherrima, quando salvatis vobis (ὕμων σωθετων) angeli concipient, beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum obrecta sunt peccata. Quando tanquam columbe, splendida specie (Φαιδου το σωματι), lucenteque anima (Φωτεινοι τη ψυχη) ecclesiam Dei ingrediemini. Magnum sane propositum est baptisima: (est enim) liberatio captivorum, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad coelum, deliciae paradisi, regni coelestis conciliatio (αρεξενον) & donatio adoptionis filiorum.* Totam igitur magnamque istam felicitatem, quæ per baptismum datur, & una voce vocatur *gratia*, in remissione peccatorum complectitur CYRILLUS, affirmans baptizandos iam productum iri statum, quo angeli de donata ipsis ista remissione sint jubilaturi. Hanc ipsam ait fuisse summam eorum, quæ competentibus adhuc de divino baptismi effectu tradita sint: hanc esse salutem, quam per baptismum expectent. Atque hoc loco consilium prioris ecclesiæ nobis aperit CYRILLUS, cur

cur per aliquot dies recens baptizatos candidas vestes induere
 iusserit: hoc enim est, *Φαίδης τῷ σωματι ecclesiam ingredi*.
 Erat nimirum hocce institutum typus eorum, quæ baptizatis
 spiritualiter contigerint, ut mundati a peccatis animum habeant
 divina luce, sive certa conscientia impetratæ veniæ repletum.
 Hoc est illud ipsum, quod baptizatis propositum est. Liberantur,
 cum antea conscientia peccatorum captivi quasi tenerentur, ne
 fidenti animo ad Deum accedere possent: remittitur & condo-
 natur ipsis illud, quo angebantur. Hoc ipso infringuntur vires
 peccatorum, quibus ante obstricti erant, cum animus fiducia
 in Deum imbuitur. Hac via homo ad novam vitam regenera-
 tur, novaque & Deo grata specie, deletis peccatorum macu-
 lis, induitur. Quorum quidem omnium homini per baptismum
 certa indubitataque noticia & conscientia conceditur, ut certo
 sciat & sentiat, se ista cuncta esse consecutum. Hoc enim est,
 quod deinceps videbimus, quod CYRILLUS τὴν σφραγίδα,
signaculum, vocat. Hæc est recta via ad coelum, sive verus
 ordo salutis: hoc modo homo eo perducitur, ut aliquid infini-
 tarum deliciarum, quæ ipsum in coelo manent, jam in hac qui-
 dem vita gustet sensuque intimo percipiat. Quod quidem ille
 tanquam arrham pignusque futuræ beatæ vitæ intueri debet.
 Tandem homo hac via certam fiduciam de impetrato jure filio-
 rum Dei consequitur. Hæc postquam protulisset CYRILLUS,
 atque competentes multis verbis ad rectitudinem animi & ve-
 ram fidem hortatus esset; totam hanc procatechesin, repetens
 quasi summam omnium, quæ ipsis mediante baptismo de gratia
 consequenda pollicitus erat, his verbis finit: *Potest Deus facere*
ex infideli fidelem, si modo cor illi tradiderit, & chirographum,
quod contra nos est, delere, oblivionem autem tribuere (*ἀμνη-*
σίων παρασχοί) *priorum peccatorum*. En! quale illud sit, quod
 CYRILLUS remissionem peccatorum vocat: est, quod supra
 præcepimus, sublatio culpæ & accusationis, quæ contra nos in
 iudicio divino, tanquam ex chirographo instituitur, sive quæ
 con-

conscientiam nostram coram tribunali divino angit, & onerat, est condonatio & venia eorum, quæ perpetrata a nobis sunt, quasi non perpetrata essent, (ein Gnaden-Varden). Pergit noster: atque *ecclesie vos inferere, & induens vos armis justitiæ sibi deligere tanquam milites* (per istam condonationem peccatorum animus erigitur viribusque instruitur, ut jam ipsarum cupiditatum impetum frangere, ipsumque peccatum vincere, recteque vivere possit.) *Repleat vero vos divinis bonis novi testamenti* (remissio peccatorum conjuncta est cum sensu beatæ vitæ) *& Spiritus Sancti signaculum* (σφραγίδα) *det indelebile in æternum* (Spiritus Sanctus plane confirmat certumque reddit animum de impetrata salute & remissione peccatorum, æternaque vita, ut tam securus esse possit & re ipsa sit, tamque certam conscientiam habeat harum rerum, quam cui solenni modo aliquid non modo promissum, sed intercedente sigillo sive obsignatione indubitato confirmatum sit).

Progrediamur jam ad *cateches. I.* In cujus principio statim Cyrillus his verbis competentes alloquitur: *cor novum vobis facite & spiritum novum: ut ex eo latentur coelestes.* Quod qua ratione fieri possit continuo subjungens: *ad vestram liberationem, inquit, paratus adest unigenitus Dei filius, venite, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Igitur, qui peccatorum conscientia anguntur, quando ad Christum accedunt, sublato hoc onere recreati, novum cor accipiunt. Id ipsum aliis vocibus iisque clarioribus explicat Cyrillus, addens: *qui gravitate peccatorum estis circumdati, & ligati catenis peccatorum vestrorum, propheticam vocem dicentem audite: lavamini - - ut angelicus vobis chorus acclamare possit: beati, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Hi sunt illi ex Cyrilli sententia, quos Christus laborantes & oneratos dixerat: atque lotio ista, qua reficiuntur & recreantur, non est *activa*, quasi ipsi se debeant purgare a peccatis: sed *passiva*, cum ipsis, quod Psalmi XXXII verbis enunciat Cyrillus, delicta & debita, quibus conscientia

iplo-

B



ipsorum onerata est, remittuntur. Quod quidem totum pulcherrime exemplo latronis in cruce ipse declarat atque confirmat: *Qui fidei lampades, inquit, nuper accendistis* (i. e. qui de Christo servatore, ejusque doctrina & promissionibus animo convicti, ad christianam religionem & ad catechumenorum numerum accessistis), *nunc non extinctas easdem manu tenendo custodite, ut qui latroni paradisum in hoc sanctissimo monte golgatha* (ecclesia ista, in qua recitabat Cyrillus hanc catechesin, ædificata erat in colle golgatha) *per fidem aperuit, vobis quoque id præstet: quo possitis sponsi canticum cantare.* Lotio igitur ista a peccatis & liberatio, & gratia illa in baptismo proposita, in hoc versatur, ut homini indigno & peccatis obruto, ut latroni in cruce, venia & vita concedatur, salusque æterna, tanquam donum mere gratuitum tribuatur. Neque quidquam deinceps Cyrillus a parte hominis peccatoris requirit, nisi ut animo avertat se a peccatis Christoque tradat & permittat; quo agnitione Dei, & arrabone Spiritus Sancti super impetratam remissionem repleri possit. *Si quis est hic servus peccati*, ita pergit Cyrillus, *paratus sit per fidem ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem* (en quid sit & quomodo accidat, secundum Cyrillum, *regeneratio*: quando nimirum animus peccatoris certus redditur, se remissis peccatis a Deo esse adoptatum) *pervenire, & præcedens pessimam peccatorum servitute, atque in beatissimum Domini obsequium sese tradens dignus censebitur, regnum coeleste hæreditate possidere.* *Exuite veterem hominem* - - - *exuite autem per confessionem* (*δια της ἐξομολογήσεως*): hanc vero nihil aliud esse, quam demissam humilemque agnitionem peccatorum, qua quis per Christum ad Deum accedens, remissionem peccatorum quærit, alio loco docebimus) *ut induatis novum, eum, qui est renovatus per agnitionem ejus, qui creavit illum.* *Arrabonem Spiritus S. possidete per fidem, ut recipiamini in æterna tabernacula: accedite ad mysticum signaculum, ut sitis bene noti Domino.* Spiritus S. per baptismum ita donatur, ut sit arrhabo sive pignus cre-

credentibus, quo certi esse possint de impetrata salute: atque per istud, quod *signaculum*, σφραγίδα, tam saepe vocat Cyrillus, ut & reliqui patres prioris ecclesiae, efficitur hoc, ut homo quasi Dei nota, tanquam servus, inuratur, qua se ipsum fidenti animo Deo sistere possit, tanquam is, qui ipsius mancipium & peculium sit. Etenim ad hunc priscarum gentium morem, certis notis signandi mancipia, procul dubio alludit hoc loco Cyrillus. Quod quidem ex iis, quae sequuntur, adhuc magis perspicue apparet. Postquam enim paucis adhortatus esset ad verum sincerumque animi propositum afferendum cavendamque hypocrisim, addit: *non dat sancta caribus; sed ubi bonum videt propositum, illic salutare sigillum & admirandum imprimi, quod metuentes tremunt demones, & agnoscunt angeli: ita ut illi quidem fugiant abacti, hi vero familiariter circa illud tamquam domestici versentur.* Fieri equidem potuit, ut paullo crassiores Cyrillus nimisque corporeas hujus rei notiones haberet, quas ex vulgari opinione illius ætatis, philosophorum præcipue nonnullorum præceptis, ad Christianam religionem attulit, quasi physici quidam characteres atque notæ animæ imprimerentur; cujus rei indicia alla, etiam clariora, alio loco occurrent: sed quod ad rem ipsam attinet, illud certe perspicuum est, ex Cyrilli sententia ejusmodi salutarem effectum a Spiritu Sancto, qui obsignat animum, produci, ut ipse homo illius, quod ipsi acciderit plane conscius, de adepta gratia convictus, seque Dei peculium esse factum omnino certus reddatur. Adjicit enim continuo: *qui spirituale hoc & salutare signaculum accipiunt, opus est, ut voluntarie id faciant* (χρεία τῆς δικῆς προαιρέσεως). Ergo conscientia & intelligentia hujus rei adsit, necesse est. *Ut enim calamus scriptorius aut telum, ut ab aliquo impellatur necesse est; sic & gratia indiget credentibus - - - Dei est gratiam conferre, tuum vero acceptare & custodire.* Videmus, gratiam conferre, & signaculum Spiritus Sancti imprimere, idem valere apud Cyril-

lum: sed & illud intelligimus, utrumque secundum Cyrillum cum iudicio & conscientia ab homine suscipi. *Transplantaris rursus in spirituales oleas, ex oleastro in oleam frugiferam infertus, ex peccatis in iustitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps sancte illius vitis efficietis.* En totam salutarem immutationem, quæ accidit homini peccatori, cum gratiam adipiscitur. Audiamus jam ipsum Cyrillum, hæc omnia paullo post vocibus clarioribus & magis propriis enunciantem: *munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantio-rem. Remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus: communicatio autem Spiritus Sancti secundum fidei unius cuiusque proportionem datur.* Hoc loco paullo distinctius Cyrillus mentem suam explicat, in quonam tandem totum istud quod gratiam vocat, versetur. Compleditur illa binas quasi partes, binaque beneficia: quorum prius est remissio ipsa peccatorum, quam quidem singulis, qui gratiam consequuntur, eodem & æquali gradu conferri asseverat: posterius vero beneficium, quod cum priori conjunctum totam integramque gratiam efficit, est communicatio Spiritus Sancti, in qua pro capacitate suscipientis majus minusve dicit versari posse. Priori beneficio, sive remissione peccatorum, aperte declarat illud, quod paullo ante dixerat *transplantari ex peccato in iustitiam, ex pollutione in puritatem.* Atque ad hanc ipsam priorem gratiæ partem refert oportere istud, quod adhuc signaculum, *σφραγίδα*, Spiritus Sancti vocaverat Cyrillus, ea docent, tam quæ adhuc de hocce signaculo disputaverat, quam quæ deinceps disputabit. Singuli, qui recte se gerunt, ut gratiæ participes fieri possint, æquali parique modo consequuntur certam istam animi convictionem de impetrata remissione peccatorum, qua mens dispulsis tenebris peccatorum sedatur tranquillisque redditur. Quænam vero vis istius communicationis Spiritus Sancti sit, quam alteram partem gratiæ constituit Cyrillus, quamque gradus quosdam habere posse affirmat, ipse suo loco luculenter declarabit, docebitque, præcipuum quendam sensum virtutis divinæ, hi-

la-

lari tati, lætitiæ, prægustus coelestium rerum, atque roboris in-
stinctusque divini ad perpetranda præ cæteris egregia quædam
virtutis facinora, in ea contineri. Notemus unum adhuc lo-
cum ex hac priori catechesi sub finem, unde vera notio remis-
sionis peccatorum, quæ Cyrillo obversabatur, confirmatur,
conficiturque, recte nos supra docuisse, non physicam destru-
ctionem peccati ipsum huic voci subijcere, sed condonationem
culpæ liberationemque mentis ab accusatione peccati coram di-
vino tribunali. *Accedis, inquit, accepturus peccatorum remis-
sionem: necesse est ut & tu delinquenti ignoscas (συγχωρησας).*
Qua fronte enim diceres Domino: remitte mihi multa peccata
mea, si tu pauca conservo tuo non remiseris (συγχωρησας).
Remissio igitur peccatorum coram Deo talis actus est, qualis
cum homo homini offensiones condonat & ignoscit.

Jam cateches. ad compet. II. confestim ab initio ita ordi-
tur sermonem Cyrillus: *gravis est res peccatum, & morbus a-*
nimæ acerbissimus iniquitas: quæ & nervos illius omnes præci-
dit, & aeterno igni obnoxiam facit. Postquam deinceps paucis
monuisset, peccatum esse malum liberi arbitrii, nec a Deo crea-
tum esse, addit: *grave igitur malum, ut dictum est, peccatum:*
sed non incurabile: grave retinenti, leve autem per poeniten-
tiam abjicienti. Posito enim, quod manu aliquis teneat ignem,
quamdiu quidem retinet carbonem, procul dubio uritur: si ve-
ro carbonem abjiciat, ablatum est fervor. *Quod si quis cum*
peccat, uri se non sentit, de hoc ait scriptura: involvat quis
ignem in sinu, & vestes ejus non urantur? urit enim peccatum
nervos animæ. Hoc vero totum Cyrillus non de servitute pec-
cati proxime, sed de conscientia culpæ & poenæ promeritæ di-
ctum esse vult. Quod quidem primo ex ipso hujus sermonis
contextu apparet. Competentes alloquitur, qui servituti pec-
cati jam nuncium miserant. Hos supra tamquam oneratos &
laborantes sub peccatorum onere, eorumque condonationem
anhelantes descripserat. Horum igitur statum etiam hoc loco



ira pingit, ut peccatum eos onerans, nervos mentis præcidere & lumen animæ obtenebrare dicat. Sit igitur hoc onus, hocce venenum, hic ignis, & ista caligo nihil aliud oportet, quam conscientia morsusque iræ divinæ, quo conteritur animus, horumque vulnerum per remissionem peccatorum sanationem quærit. Abjici, inquit Cyrillus, illum urentem ignem *per poenitentiam*: hanc vero, apud Cyrillum nihil aliud esse, quam humilem agnitionem perpetratorum peccatorum, qua quis se avertens a peccato atque coram Deo sistens misericordiam ejus per Christum implorat, veniamque quærit, alio loco docebitur. En igitur, quale sit onus peccati, qualisque ignis iste, quem Cyrillus hoc loco in peccato versari affirmat. Accedit, quod quemquam peccare posse dicat, qui se uri non sentiat. Hic vero alius esse haud potest, quam qui adhuc peccatorum servitute & illecebris plane captus & irretitus, conscientia morsus iræque divinæ sensum aut plane ignorat, aut contemnit. Ergo is uritur peccato ac tanquam gravissimo onere premitur, qui sentiens se peccasse, conscientia culpæ angitur & coram Deo humiliatur. Tollitur igitur hocce onus, extinguiturque ignis, quando Deus ita condonat peccata, ut mens per Spiritum S. hujus rei certa & sicura reddatur. Atque hoc quidem istud est, quod secundum Cyrillum nostrum in baptismo iis propositum est, qui vere poenitentes accedunt, & in quo primam præcipuamque partem *GRATIAE* versari contendit. Egregie quidem Cyrillus, quod deinceps ostendemus, docet, hac ipsa via ipsam cupiditatum vim atque vires infringi, & animum erigi virtuteque divina indui, ut in posterum peccatum ipsum vincere possit atque ab ipsa servitute peccati in veram libertatem asseri: attamen ipsam formam gratiæ in condonatione peccatorum collocat, istamque virtutem vincendi impetus peccati ipsius necessarium quidem proximumque, fructum tamen illius condonationis esse pugnat. Quapropter hoc nostro loco conscientiam, peccatorum culpa iræque divinæ sensu oneratam & oppressam, causam esse dicit, qua impediatur animus, quo minus ipsi

ipsi cupidati peccatorum resistere possit, nec satis habeat virium aut nervorum, vincendi furorem peccati, neque denique lucem divinam conspiciere possit, qua exhilaretur animus, ut securo, tranquillo, fidentique animo ad Deum accedere possit; dum per remissionem peccatorum hæcce nebula visum interceptiensi dispellatur. Veruntamen ne quis comminisci me aliquid putet, videamus, quomodo ipse Cyrillus in reliqua parte hujus secundæ catecheseos animi sui notiones explicet. Etenim interspersis nonnullis de origine peccati ejusque natura monitis, convertit orationem ad exhortandos catechumenos, ut ipsi, qui sentiant se peccasse, & ad libertatem aspirent, fidenti animo ad Deum per Christum accedant, liberationem certo consecuturi: *quid igitur, dixerit aliquis, inquit, decepti periiimus: nunquid non est deinceps salus? cecidimus; an non licet resurgere? excoecati sumus; ergo non licet prospicere? Claudi sumus effecti; licebitne incedere? in summa mortui sumus; num fieri potest ut resurgamus? vides hominem loquentem induci, qui peccatorum convictus, vulneraque sua mortemque sentiens, salutem viamque ejus consequendæ quærit. Attende igitur, quam in re collocet Cyrillus salutem istam peccatoris, & qualem ipse viam & rationem ostendat, qua ad liberationem ab isto peccatorum onere pervenire possit. Qui Lazarum quatrivanum excitavit, ô homo! nonne te viventem multo facilius suscitaverit? qui pretiosum sanguinem suum effudit pro nobis, ipse nos a peccato liberabit. Non desperemus, fratres: non abiciamus nos ipsos in statum desperationis. Grave enim scelus, non credere spem poenitentiae (i. e. non concipere fiduciam salutis & remissionis peccatorum per poenitentiam, si-ve immutationem animi, μετανοια, consequendæ, id quod ea, quæ continuo sequuntur, comprobant) qui non expectat salutem, temere accumulât peccata: at qui sperat medicinam, facile deinceps sibi temperat. Latro enim, qui non sperat condonationem, devenit in contumaciam: qui vero sperat remissionem, saepe immutat animum. - - - - Benignus est Deus, &*




non parum benignus. Non ergo dixeris: scortationem & adulterium commisi, gravia patravi scelera, idque non semel, sed frequentissime; numquid condonabit (συγχωρησει)? numquid obliviscetur (παρεξει τησ αμνησιν)? Audi, quid dicat Psalter, quam magna multitudo dulcedinis tue Domine. Non vincunt tua peccata multitudinem miserationum Dei. Non superant vulnera tua summi illius medici experientiam: fidelem modo te exhibeas (δος μουσ σεαυτον μετα πισεως) ediffere medico affectionem tuam, dicens cum David: dixi, confitebor adversum me iniquitatem meam Domino; & fiet id, quod proxime sequitur: & tu remisisti impietatem cordis mei. Intelligimus nunc quidem, quale sit istud, quod supra dixerat Cyrillus, grave onus esse peccatum, & morbum animi: praecidere illud nervos mentis, urere & consumere vires ejus, ut homo e servitute eluctari haud possit cæret. Videmus, quam in re posita sit via ad libertatem? quid sit sanatio vulnerum? quomodo quis nova vita novisque viribus instruat ad vincendum peccatum? Homo enim, cujus conscientia scelerum & peccatorum turpitudinem sentiens & intelligens, culpæ & poenæ metu opprimitur, priusquam ipsi affulgeat aliqua spes consequendæ remissionis, plane ut servus abripitur constringiturque pravis cupiditatibus, neque ullo modo expedire se potest, sed in pejus ruit. Quamprimum vero scintillulam aliquam fiduciæ in Dei misericordiam per Christum concipit; erigitur animus, novasque vires capere incipit ad abjiciendam servitutem peccati: dum tandem, humilem se projiciens coram Deo, culpam confitens, ad veram a peccato libertatem serio anhelans, & misericordiam implorans, plena remissione donatus &, quod supra vidimus, Spiritus S. sigillo confirmatus, decusso sic peccatorum onere, omnino liberatur, vivificatur, sanatur, & ad salutem divinamque virtutem restituitur. Multa deinceps exempla peccatorum, qui gratiam consecuti sunt, interserens Cyrillus, ut adhortaretur competentes ad fiduciam in Dei misericordiam per Christum, & ad cer-

certam spem salutis concipiendam, inter alia Davidem regem proponit: *qui respondit, inquit, venienti propheta - - - peccavi Domino. Cernis humilitatem regis? vides confessionem (ἐξομολογησιν)? celeriter transegerat negotium: & propheta adest illico accusator, & delinquens facinus confitetur. Quod cum ingenue fassus esset; celeriter percipit medicinam. Propheta enim Nathan, qui comminatus est, extemplo inquit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Vides, quam in re verferetur medicina, quæ peccatoribus proponitur. Peccati conscientia est morbus: promissio remissionis, qua erigitur animus, est medicina. Sanitas igitur confirmatio animi plenaque convictio de impetrata remissione sit, necesse est. Quocirca & in exemplo Davidis Cyrillus deinceps ostendit, quod quamvis medicina oblata sit regi, ipse tamen non destiterit, spe sanitatis recuperandæ excitatus, humiliari se coram Deo, & in confessione persistere: dum nimirum mens plane tranquilla reddita fuerit. conf. Ps. LI. v. 12. 14. Præter reliqua peccatorum exempla etiam Jerobeam rex in medium producit; de quo ita Cyrillus noster: *Si Jerobeamum sanavit propheta; te Christus non poterit sanans a peccatis in libertatem vindicare (τῶν ἐμαρτυρῶν ἰασησαμενος ἐλευθερωσαι)? intelligis rursus, sanationem peccatoris versari in remissione peccatorum, ac per hanc ipsam remissionem hominem, antea peccatis constrictum & oppressum libertati restitui. Ezechia regis exemplum deinceps Cyrillus profert: Aegrotanti illi, inquit, dixerat propheta, dispone domui tue - - - que deinceps expectatio? - - - - Sed non abstinuit tamen a poenitentia Ezechias, recordatusque illius, quod scriptum est: cum conversus ingemueris, tunc salvaberis; conversus ad parietem, & elevans mentem a lecto ad coelum, memento, inquit, mei Domine! sufficit enim ad salutem mihi, si tu memineris mei. - - - Tum propter Ezechiam sol reversus est: propter Christum vero sol obscuratus est - - - - ac**

C

ill



ille quidem potuit Dei sententiam solvere: Jesus autem non poterit remissionem peccatorum dono gratuito concedere (χαρισματα αφεσις αμαρτιων)? convertere, & te de ipso ingemisce, claude januam & supplica; ut tibi remittatur, ut flammæ te urentes auferat. Peccati igitur culpa, cujus sibi conscius est peccator, quamque sentit, illud est, de quo laborat, quo opprimitur: hic sensus, hæc conscientia sunt flammæ istæ, quæ animum adurunt, sive ita dolore afficiunt, ut ignis flammæ tunc, cum Christus homini poenitenti remissionem peccatorum gratis donat: quo factio mens refocillatur. *Nabuchdonosor*, pergit *Cyrillus*, postquam hujus regis gravissima scelera enarrasset: *Cum agnovit altissimum, vocesque gratias agentes ad Deum emisisset, & devenit ad eorum, que patruerat, re-fipiscentiam, infirmitatemque suam agnovit; tunc restituit illi Deus regni honorem.* Quid igitur? *Nabuchdonosori, tantis obnoxio sceleribus, quam primum confessus est, peccata remittit, regnumque restituit; tibi vero agenti poenitentiam non remitter? neque regnum coeleste, si te pro dignitate gesseris, concedet?* Cum remissione peccatorum igitur conjunctum est jus & donum vitæ æternæ. Quemadmodum enim *Nabuchdonosor* hoc ipso consecutus est restitutionem in regnum, cum ipsi Deus remisisset peccata, atque hæc remissio unum & proximum fundamentum restituti regni fuit; ita & in universum Deus, ex *Cyrilli* sententia, condonando peccata concedit regnum coeleste: neque quod adjicitur, *si digne te gesseris, aliam* habet vim, quod suo loco demonstrabimus, quam hominem impetratam gratiam remissionis studiose retinere, vitamque tanto dono dignam instituere oportere, ne id, quod assecutus est, rursus peccatis indulgendo amittat. Id quod ex iis, quibus finit hanc *alteram catech.* *Cyrillus*, jam satis apparet. Postquam enim de *Petro* lapsio & poenitente adhuc nonnulla

mo-

monuisset, addit: *Habemus, fratres, multos peccantium typos, & poenitentium, & promte saluatorum. Et vos igitur confite-
mini Domino; ut ante patrum remissionem accipiatis pecca-
torum, & coeleste regnum consequamini, donumque super-coe-
leste hereditetis.* Eos, quos in exemplum adduxerat impetra-
tæ remissionis, nunc quidem *salvatos* vocat: similique modo
competentibus pollicetur, eos impetrando remissionem pecca-
torum, ad vitam æternam perventuros.

Jam *cateches. III.* confestim ab initio ita compellat com-
petentes Cyrillus: *Letentur coeli, & exaltet terra propter eos,
qui aspergentur hyssopo, & mundabuntur hyssopo spirituali, &
hoc quidem virtute illius, qui tempore passionis hyssopo & arun-
dine potatus est.* Hæc est igitur ista *gratia*, competentibus in
baptismo proposita, ut istam consequantur peccatorum remis-
sionem, propter Christi mortem & merita, quam David Ps. LI.
quærebat. Quod quale sit, & quomodo accidat, ipse Cyrillus
deinceps, postquam quædam de vera animi præparatione inter-
spersisset, explicaturus addit: *Incipiatis stolas vestras per poeni-
tentiam lavare, ut ad sponsi thalamum vocari mundi reperia-
mini.* Ne quis vero hæc dicta eo trahat, quasi peccatores suo
studio suisque operibus hanc purgationem poenitendo perficere
possint, sed ut intelligatur, istud purgationis initium per poeni-
tentiam faciendum, tantummodo capi debere de recta præpara-
tione mentis ad suscipiendam gratuitam remissionem peccato-
rum, qua quis avertens se a peccatis veniam eorum serio quæ-
rit; non modo continuo convertit Cyrillus orationem ad mo-
nendos competentes, ut omnem hypocrisis fugiant, veraque
nec simulata fide ad gratiam accedant: sed mentem suam adhuc
magis perspicue declaraturus pergit: *Utinam autem & vos o-
mnes dicere possitis: introduxit me rex in tabernaculum suum,
exultet anima mea in Domino, induit me veste salutis & tuni-
ca lætitiæ, - - - ut omnium vestrum anima sine ma-*

cula & ruga, vel aliquo ejusmodi reperiatur. Non hoc dico, antequam gratiam consequamini; quomodo enim ad remissionem peccatorum vocati essetis? sed ut postquam vobis data fuerit gratia, irreprehensibilis conscientia reperiatur (ἀκαταγνώστος ἡ συνείδησις ἐνείθεσσα), & gratiæ congruat (συνδραμῆ τῆ χάριτι). Non igitur ipse peccator delet peccata poenitendo: sed præparat se ad recipiendam gratiam, quæ in eo versatur, ut re ipsa impetret remissionem, ad quam vocatus est, quamque quærit. Neque antea anima pura & sine macula reperiatur: sed id quidem tunc accidit, & in eo versatur, quando condonantur homini peccata. Nec igitur hæc puritas est physica & homini propria; sed imputata & aliunde accedens. Sic vero conferitur homini ista remissio, & in hoc ipso posita est gratia, ut animum certo convincat, tranquillumque reddat, plenamque fiduciam inspiret de remissa & condonata culpa recuperatoque favore Dei. Etenim animam, si exultare & lætari debet, nosse oportet & intelligere id, quod ipsi contigit, atque certo tenere bona, de quibus lætetur. Quodcirca totum hoc, quod remissio peccatorum vocatur, in ipsa hominis conscientia accidit, quæ a terroribus & condemnatione liberata & absoluta (ἀκαταγνώστος ἐνείθεσσα), nunc quidem sic se habet, quomodo remissioni impetratæ convenit, seu illi mentis convulsioni respondet (συνδραμῆ τῆ χάριτι). i. e. læta, tranquilla, secunda reperiatur, planeque in Dei favore gratiæque conquiescit. Quod quidem rursus paullo post Cyrillus, obsignationem Spiritus S. vocat: Spiritus S. inquit, obsignabit animas vestras (μελλεὶ σφραγίσσειν). Quo vero magis omnem dubitationem præscindamus; addamus illa, quæ proxime sequuntur. Etenim Cyrillus cum monstrasset, supernaturalem Spiritus S. virtutem in baptismo cum aqua conjunctam esse, quæ subjective in ipso homine præstantissimos planeque divinos effectus producat, non tanquam

quam aque simplici studeas huic lavacro, inquiens, sed spirituali gratia, quae cum aqua datur - - - simplex aqua per preces accipit virtutem Christi & Spiritus S. (conf. quæ Program. superiori dicta sunt); ipse luculentissime declarat, quidnam istud sit, quod a supernaturali ista virtute proficiscatur: aqua mundat corpus, spiritus autem signat animam (σφραγίζει); ut abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde (ἐξ' ἁγνισμένοι τὴν καρδίαν), accedamus ad Deum. Hoc igitur perficit Spiritus Sancti divina operatio, ut mens peccatoris de concessa remissione, quam ἁγνισμὸν jam supra vocaverat, plane certior reddita, plena fiducia in Deum placatum & propitium feratur, extinctis terroribus atque moribus, quos conscientia ob perpetratum peccatum sentiebat. Quod quidem totum confestim salutem vocat Cyrillus, operatione Spiritus Sancti perficiendam: non aquae simplici mentem adhibe; sed Spiritus Sancti virtute (ἐνεργείᾳ) suscipe salutem.

Jam vero nemini, qui præconceptis opinionibus fasciatus haud est, obscurum esse poterit, quale sit istud onus, cui supra comparavit Cyrillus peccatum? quomodo istud animi nervos præcidat & adurat? qua ratione liberetur mens ab isto onere, extinguaturque ignis? Paucis, quam in re posita sit, ex Cyrilli sententia, salus, vita, & restitutio peccatoris coram Deo? Insignia videmus præstantissimaque argumenta, quam caste recteque præsci doctores, quod ad summam rei attinet, de reparatione hominis lapsi per Christum præceperint. Liberavimus simul jam nunc quidem aliqua ex parte fidem superiori programme datam, facile demonstrari posse accuratum ecclesiae nostrae consensum in summis religionis capitibus cum primæva Christianismi puritate; dummodo quis improbo odio & partium studio non impediatur, quo minus & veram antiquitatis sententiam, & genuinum ecclesiae nostrae systema perspiciat, ingenueque invicem conferat, velitque paullisper sepositis con-



troverfis vocibus rem ipsam intueri. Sed infinita adhuc exstant apud Cyrillum nostrum testimonia, quibus tota causa conficitur, idque, quod adhuc docuimus, subinde clariori luce illustratur. Verumtamen abrumpamus tantisper filum tractationis, ea, quæ restant, alio tempore, si Deus vitam viresque concesserit, persecuturi: præcipue quam in re Cyrillus alteram gratiæ partem, donum scilicet Spiritus S. versari putet. Unum istud adhuc Lector hoc loco monendus videtur, gratiam illam, quam Cyrillus noster iis pollicetur, qui recte præparato vereque poenitenti animo ad baptismum accedunt, etiam illis eodem modo, secundum prisce ecclesiæ sententiam, propositam esse, qui lapsi per peccata proæretica de baptismati foedere, veram poenitentiam ineuntes, reconciliationem cum Deo restitutionemque in amissum statum serio quærunt: atque his quidem hancce gratiam contingere dicebant per absolutionem ab ecclesia impertiendam. Quod quidem vel ex iis, quæ sæc. III. in Novatianis certaminibus disputata sunt, abunde comprobari posset; si cuiquam, qui aliquam habet prioris ecclesiæ notitiam, aliqua dubitatio queat superesse.

Nostrum est, *CIVES*, animum attendere ad nosmet ipsos, num ii simus, ad eumque pervenerimus finem, quem vera Christi ecclesia semper peccatoribus proposuit, amissam salutem recuperaturis. Annunciatur nobis per hosce festos dies opus Dei omnium maximum, resque salutis plena: natiuitas nimirum Servatoris totius mundi, qui venit salvaturus populum suum a suis peccatis. MATTH. I, 21. Funestum est, nec causam tantæ rei gestæ nosse & sentire, nec earum rerum participem esse, quæ tanto tamque divino apparatu nobis procuratæ sunt. Lapsi & alienati sumus a Deo, vero summoque nostro bono. Medicina parata est. Quantum scelus, & affectionem nostram tristissimam abnegare, & divinum medicum respicere atque contemnere? Quænam spes illis superesse possit, qui salutis suæ incuriosi & negligentes, ignem, quo jam nunc
 urun-

uruntur, propriæ conscientiæ inquam morsus sanctissimique judicis terrores, improbe supprimunt, quasi nihil ipsis pertimescendum esset, in diem vivunt, ingratoque animo salutem oblatam contemnentes, impuras cupiditates inaniaque gaudia peccati Christo & regno coelesti præferunt? Excutiamus igitur conscientiam nostram: admittamus & observemus sensum miseriæ, qua sumus oppressi: necessitatem divinæ opis intelligamus: deploremus exitium, quod ipsi nobis contraximus: sicque provoluti ad pedes Servatoris optimi, qui venit, ut extinguat suo sanguine infelices flammæ, liberationem serio quæramus non a poenis tantummodo peccatorum, sed ab ipso peccato, omnium malorum pessimo, ejusque culpa & servitute. Nec desistamus prius petendo, flagitando, deprecando, quam Christus missò Spiritu suo in corda nostra, firmam nobis certamque inspiret fiduciam, animumque obfignet, deleta in æternumque a facie Dei abjecta esse peccata nostra, vitam nobis esse donatam, atque Dei regnum veramque salutem restitutam. Tunc demum instructi novis vereque divinis viribus armisque justitiæ, poterimus prospero eventu peccati cupiditates debellare, mundum vincere, novam vivere vitam, celeribusque gradibus, dummodo retineamus gratiam, nec ipsi arma præjiciamus, ambulare beatas istas vias, quibus æterna gloria proposita est. 2 PET. I, 11.

P. P. SUB SIGILLO ACADEMIAE
IPSO NATALI SERVATORIS DIE, MDCCLXV.



33

LBMV Schwerin

000 749 788




Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker


https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837173362/phys_0027

DFG





em salutis concipiendam, inter alia Davidem regem
 , inquit, venienti propheta - - - pec-
 humilitatem regis? vides confessionem
 ter transegerat negotium: & propheta
 delinquens facinus confitetur. Quod
 t; celeriter percipit medicinam. Pro-
 comminatus est, extemplo inquit: Do-
 it peccatum tuum. Vides, quam in re
 peccatoribus proponitur. Peccati con-
 missio remissionis, qua erigitur animus,
 igitur confirmatio animi plenaque con-
 illione sit, necesse est. Quocirca & in
 s deinceps ostendit, quod quamvis me-
 se tamen non destiterit, spe sanitatis re-
 umiliari se coram Deo, & in confessio-
 nium mens plane tranquilla reddita fue-
 . Præter reliqua peccatorum exempla
 medium producit; de quo ita Cyrillus
 sanavit propheta; te Christus non pote-
 libertatem vindicare (τὸν ἐμαρτυρῶν ἰα-
 ? intelligis rursus, sanationem peccato-
 peccatorum, ac per hanc ipsam remis-
 ea peccatis constrictum & oppressum li-
 hie regis exemplum deinceps Cyrillus
 li, inquit, dixerat propheta, dispone
 deinceps expectatio? - - - - Sed non
 itentia Ezechias, recordatusque illius,
 conversus ingemueris, tunc salvaberis;
 , & elevans mentem a lecto ad coelum,
 Domine! sufficit enim ad salutem mihi,
 - - - Tum propter Ezechiam sol rever-
 m vero sol obscuratus est - - - - ac
 C ille



the scale towards document